



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciæ

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Elbingiae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)

Hunc dominum comitata suum; nam semper utramq;
 Cum domino sortem ferre parata fuit.
 Occidit, heu, vita ter denis junxit ut annis
 Sex super, ad ripas Istula magne tuas.
 Teq; novis auctum titulis Friderice- Georgi
 Ire novas etiam compulit in lachrymas.
 Exuvias habet iste locus, mens cessit Olympo,
 Inq; tuo vivit Christe beate sinu.
 Disce mori, tumulumq; hospes venerare piorum,
 Scilicet ante Deum mors grave pondus habet.

LABOR.

O labor, o sudor, scelerati præmia morsus!
 Absatis est, natos occule terratuos.

Sanguine mundata est Ecclesia, sanguine cœpit;
 Sanguine succrevit, sanguine finis erit.

O phœnix redi vive tuo me conde sepulchro,
 Ut diræ effugiam jura superba necis.

QUIES.

Inveni portum. spes & fortuna valete.
 Nil mihi vobiscum; ludite nunc alios.



ELBINGAE.

EPITAPHIUM UXORIS D. MATTHIAE STOII; marito ipso autore.

Hic sita Matthia Stol lux, vita, voluptas,
 Agnes vitali lumine functa cubat.
 Indole qua subnixa sua, curaq; parentum
 Adjuta, exemplar dulce pudoris erat.
 Plusq; in virtutem posuit, quam dona caduca;
 Äqua viro officiis & pietate Deo.
 Vitaq; labore carens, & in omni parte modesta,
 Lingua in consiliis, inq; ope prompta manus.

Dd ij

BORUSSICA.

Signa dabant motus a sacro flamine nasci,
 In cerebro & sensus hoc agitante regi.
 Nec virtutum umbras, sed signa expressa gerebat,
 A fastu & luxu mens aliena fuit.
 Sorte sua juvit peregrina fortis egentes,
 Ac in membra domus non hera, mater erat.
 In morbo fulsere preces, fiducia CHRISTI,
 Qua sola acceptos nos facit esse Deo.
 H&at tamen exuvia cum templum numinis essent
 Numinis & templum nobile rursus erunt.
 Credibile est ipsam saltem requiescere terris,
 Mors in templo Dei nil quia juris habet.
 Deo Opt. Max. P.F. & SS. sacrum.

EPITAPHIUM D.N. VALENTINI BODDE-
 geri, ad imaginem ossium redivivorum
 apud Ezechielem.

Memento rebus vanidis diffidere.
 Opes, genus, forma decor, caduca sunt.
 Ad offa nuda mors reducit omnia.
 Calo repotus optimus thesaurus est.
 Quem cum Valentinus vir omnium optimus
 Bodgerus esset persecutus unicé
 Dum vivaret, contemneretque vanida;
 Pro vanidis aeterna consecutus est.



IN ARCE MEMELAEA.

IOAN. ALBERTUS DUX MEGAPOL. ANNÆ sorori sponsæ, dis-
 cedenti in Curlandiam:

Exoritur tristis te discedente querela,
 Et lacerat mentem sollicitudo soror:
 Sed valeat moeror, valeant suspiria moesta,
 Et lacrymae valeant, improba cura vale.
 Omine te Dominus late deducat, & addat,
 Sis felix rebus, connubioque, vale.

XXVI. Martii anno M.D.LXVI.
 SALIS.